



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Cardinales in eorum Episcopatibus habens ordinariam jurisdictionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

mer. 11, in princip. de rescript: Card: Jacob: in tract: de conc: lib: 1, numer: 118, & 126, tom. 13. Paulus IV. in Bull. Rom. cap. 8, in princip. & Purpur. in rubr. de jurisd. omnia. jud. numer. 15 Cardinalatus enim celsitudo, ac splendor dignitati Regiæ comparatur, immo præfertur. Inquit enim S. Ambros. Nihil est in hoc sæculo excellentius sacerdote, nihil Episcopo sublimius, ut in lib. de dignit. sacerdot. cap. 3. & pluribus auctoritatibus hanc veritatem, probat Card. Bellarm. in Apolog. pro respons. ad regem Brit. cap. 4, §. igitur Cardinales, & fere per tot. posui alibi. Sixtus V. in Const. 50, in princip. & §. prætere a.

3 Cardinalium gradus † est tripartitus in Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, ac numerus præfinitus, ne ullo usquam tempore ultra septuaginta esse possint, ut statuit idem Sixtus in dict. constit. §. de prædictorum fratrum, imitans figuram septuaginta sanum, quibus Deus auferens de spiritu, qui erat in Moysè, dedit, ut sibi essent in regimine coadjutores, ut in lib. Numer. cap. 11.

4 † Quorum septuaginta Cardinalium sex sunt Episcopi, licet olim essent septem, videlicet Ostiensis unitus cum Veliterno, qui primus est in ordine, & dignitate, præcedens omnes, & immediatè sequitur Papam; quod habuit ex privilegio Ecclesiæ Ostien. quia consecrat Papam; & ungit Imperatorem: Abbas in c. antiqua, num. 6, de privil. Cassan. in Cat. glo. mun. par. 4, consid. 12, vers. & adverte, c. cum venerabilis, de consuet. Portuensis, & S. Rufinæ ob martyrium, quod Rufina in eodem loco passa fuit, secundum locum obviat, uniusque tantummodo est Episcopa-

tus, licet Cassan. duos distinctos errore ductus, connumeraverit, in eod. vers. & adverte. Tusculan. tertius, Sabinensis, quartus, Prænestinus, quintus, & Albanensis, sextus; de quibus in constitut. Sixt. V. in Bull. cap. 56, §. ex Diaconis par. ult. qui sunt sub Romano Pontifice, & non in alterius Provincia, ut ibi vers. Ostiensis, & primum gradum constituunt, ac secundum anterioritatis creationis prærogativam, & ordinis sacerdotalis susceptionem optantur † inter presentes in Curia, quia in optione absentes pro mortuis habentur, nisi ex causa publica absentes, & extra Romanam Curiam per Roman. Pontif. fuerint destinati, ut in Constitutione Pauli Papæ IV. in Bull. Rom. cap. 8. Ostiensi autem, qui Decanus existit, præcipuus honor tribuitur, † habentque in eorum Episcopatibus ordinariam jurisdictionem cum beneficiorum collatione. Secundus † gradus est Presbyterorum, quorum numerus ad summum quinquaginta fuit stabilitus, ut in ead. constit. 50. Tertius est Diaconorum, qui ultra quatuordecim esse non possunt, ut in d. constit. 50. Nunquam autem hæcenus perfectus fuit numerus septuaginta Cardinalium, nisi quando Clemens Papa VIII. sub die 3. Martii 1599. illum explevit. Singulis † autem singulæ Ecclesiæ pro titulo Cardinalatus à Papa conferuntur, & si Ecclesiæ sunt collegiatae, vel alias habent beneficia ad eorum collationem, quocumque tempore, & quovis modo vacant, ab ipsis Cardinalibus titularibus personis sibi bene visis conferri possunt, quacumque reservatione non obstante, quia in beneficiis † ab Ecclesiis Cardinalium dependentibus nulla cadit reservatio, cum Cardinales sub regulis Cancellariae